

ALETHOPHILORUM
QUORUNDAM VIENNENSIVM
ELUCIDATIO
NECESSARIA
EPISTOLÆ DE CICUTA,
QUAM
CELEB. HAENIUS
SCRIPSIT
AD
CELEB. TRALLES.




VINDOBONAE,
TYPIS JOANNIS THOMÆ DE TRATTNERN,
CÆS. REG. AULÆ TYPOGR. ET BIBLIOP.

1 7 6 6.

CITACIUSQ[UE]M
EL[LE]P[RO]P[ER]

Quo deinde insane ruis? quo?
Quid tibi vis? Calido sub pectore mascula
bilis
Intumuit, quam non extinxerit urna CICUTÆ

AUL. PERS. SAT. V.



N

ullius artis vel scientiae inventa sunt adeo utilia, atque ea, quæ fiunt in Medicina ad restituendam desperitatem Sanitatem: quid enim homo potest, cui deficit Sanitas?

Interest igitur totius publici, & interest præcipue Virorum litteratorum, quibus ægrotantium Salus cordi esse debet, ut ea exacte notescant, quæ in hac arte deteguntur, perficiunturque.

Cicuta Viennensis nunc temporis ubique locorum agitatur maxime; de

A

ea multi acriter disputant, sunt alii,
qui se se ejus usui totis viribus oppo-
nunt, & hi tales sunt, qui fibi adu-
lantur, quod plurima inter doctos
authoritate valeant.

Putavimus propterea, nos nihil
æquius nihilque publico utilius præsti-
turos, quam dum veram & genuinam
ejus historiam candide depingeremus.

Et, ut enarratio fieret quam ex-
actissima, rem ab ovo exordiendam
duximus.

Initium anni 1746 erat felix il-
lud temporis punctum, quo *Medici-
na Viennensis* florere cœpit; & ex quo
tantum hausit incrementum, ut jam
omnes docti sponte fateantur, *scho-
lam medicam Viennensem* inter optimas
numerandam esse.

Quantum jam inde emolumentum
populo, quantum Principibus eve-
nit!

Et cui hæc omnia debentur? nisi
foli viro in arte medica maximo Ge-
rardo L. B. van Swieten AUGUSTO-
RUM Medico primo, Præsid. nostro
perpetuo, & rerum omnium medici-
narium Directori.

Is enim, ineunte anno 1746,
primus publice Viennæ in vestibulo
Cæsareæ Bibliothecæ methodum stu-
dendi medicinæ tradidit.

Absoluto hoc penso explicuit eo-
dem in loco institutiones medicas
Boerhaavii, ea ratione, ut biennii spa-
tio illas absolveret totas.

Cumque & materia medica par-
tem hujus laboris constitueret, agens
de Venenis, nobis summopere sem-
per inculcavit, ut postea, absoluto
studiorum curriculo, otium & occa-
sionem naëti, indagaremus sedulo
plantarum venenatarum & aliorum
toxicorum naturam.

A 2

Etenim suspicabatur vir *Summus* sub venenorum nomine maxima latere medicamenta.

In exemplo adducebat *Opium*, *Mercurium* &c. quæ a veteribus erant penitus damnata, & pro nocivis habita.

Salutaria hæc monita multorum animis inhæserunt firmiter.

Institutionum medicarum cursum sic quater absolvit Illustrissimus *Præfes*; erat auditorum numerosus confluxus; nec sufficiebat iis audivisse *Summum Virum* usque dum essent doctoratus medici laurea condecorati, sed & postea ejus collegia diligentissime frequentarunt. Id & fecerunt viri jam in publica Cathedra docentes; quum adhuc quotidie quid novi intellegrent, quod eorum scientiam plurimum adauxit & Illustravit

Tandem curæ aulicæ multum increverunt, aliaque negotia summe

necessaria , quibus AUGUSTISSIMA præposuit Illusterrimum Præsidem nostrum , fecere, ut jam tot dandis publicis collegiis non amplius sufficeret.

Ideo is partem horum commisit *Joanni Melchiori Störck*, qui, Summi Viri vestigia sequendo, spartam hanc per septem annos egregie ornavit; dein vero præmatura morte abruptus (quem lugebant omnes boni) successorem habuit celeberrimum *Henricum Crantz*, qui haçtenus magno cum applausu docet.

Deerat autem vir, qui studiosis morbos, morborum signa, curationesque &c. coram ægrorum lectulis, in Nosocomio ad hunc finem exstructo, explicaret; fuisit propterea Illusterrimus Præses *van Swieten*, ut AUGUSTISSIMA IMPERATRIX evocaret ex Hollandia medicum Haganum *Antonium de Haen*, quem tunc temporis ad opus hoc aptum judicavit.

A 3

Simul ei jungebatur medicinæ practicæ assistens, qui advenientium ægrorum historias conscriberet, decumbentiumque in Nosocomio Symptomata accurate adnotaret.

Antonius Störck (pie defuncti Professoris frater Germanus, nunc Cæsareus Regius Archiater & P.T. Inclitæ Facultatis medicæ Decanus) tunc e Scholis Illustr. *Præfidis* egressus, optimis ac necessariis praxeos fundamentis instructus, ut proficeret ulte-rius, seque ad ægrorum lectos in praxi firmum redderet, medicinæ assistentis locum in hoc Nosocomio am-bivit, petuit, obtinuit.

Per binos annos gessit hoc munus indefessus, & diu noctuque observan-do, *Haenii* labores levavit multum; utilemque sic ipsi materiam pro solidis lectionibus practicis paravit, sub-ministravit numerosa experimenta, quæ primos *Rationis medendi* Tomos ornant.

Lætabamur & gratulabamur tunc nobis plurimum cum *Störckio* Affidente; nec sufficientes agere gratias poteramus immortali nostro *Præfidi*, qui effecerat suis consiliis, ut tantum vi rum Professorem, tantamque & tam commodam nos in praxi medica exercendi occasionem obtinuissimus.

Mirabamur tunc summam fedulitatem, summumque fervorem, quo nobis celeberrimus *Haenius* morbos, eorumque curationes ad ægrorum leçtulos explicabat.

Numerus ægrorum erat tunc ingens; lecti Nosocomii erant omnes semper occupati, & plerique tunc ægri morbis acutis laborabant.

Nec tunc tantum ii suscipiebantur in Nosocomium practicum, qui spem curationis dabant; sed & tales, quos certo certius morituros facile prævidimus.

Id est propterea factum, ut bona & mala convalescentium & morientium signa accurate addisceremus.

Quid jam nobis utilius fieri potuisset?

Celeb. *Haenii* labor tunc in eo plurimum versabatur, ut nos doceret, morbum a morbo distinguere, ut ex ipsis decubentibus intelligeremus, quæ esset febris continua, simplex, quæ inflammatoria, quæ putrida, quæ maligna, quæ exanthematica.

Vidimus tunc summa cum attentione, quam anxie Celeb. *Haenius* signa *miliarium*, *petechiarum*, reliquorumque exanthematum esset rimatus; suas explicationes tunc sua autoritate & longa experientia practica confirmavit.

Morbos *miliares*, & *petechiales* tunc nobis præprimis exposuit, quum hi essent maxime frequentes & admodum periculosi, dicendo semper, si

horum exactam haberemus cognitionem & veram eos curandi methodum, de reliquis morbis acutis omnia fore longe faciliora.

Quam exactissime igitur ea omnia notavimus, quæ de his morbis differuit celeb. *Haenius*. Etenim præter generalia signa diagnostica nos docuit sua experientia: qui esset pulsus, quæ respiratio, qualis lingua, quales oculi, qualis sudoris odor, qualis urina, qualis in diebus criticis mutatio, quæ exanthemata miliaria, aut petechia- lia præfigiret.

Docuit nos, quomodo possemus veras petechias a maculis scorbuticis, aut a pulicum moribus dignoscere.

Docuit nos summa cum sollicitudine, quomodo teneremus candelulam, iustraturi collum vel pectus ægrorum, ut probe discerneremus, an exanthe- mata supra cutim eminerent, an ad-

essent miliaria alba vel rubra , pellucida vel turbida.

Docuit nos authoritate sua & annosa sua experientia (cujus nunquam oblitiscebatur in his mentionem facere) morbum miliarem nequaquam ab acido oriri, quamvis vappidus sudoris odor acidum redoleret ; nec debere antacidis curari, sed iis quae putredini resistunt & sunt acida : quantumne nobis commendavit acetum ! Quantumne claretum vinosum cum Spiritu Sulphuris per campanam ! usum camphorae nobis inculcavit, ubi vires naturae deficerent ad propellenda exanthemata ; & haec nobis exemplis demonstravit.

Decubuit tunc in Nofocomio *Ancilla* miliaribus albis laborans : decubuit *Lanio*, qui jam cum morte luctans tandem erumpentibus petechiis convaluit : vir *operarius* quoque a morbo pessimo petechiis & intermisiis miliaribus

ribus optime judicatus est in *Noſocomio práctico*; linteamina & lecti stragula sunt ſæpius mutata, aer quoque erat ſæpius renovatus in cubili, ubi hic æger decubuit, ut instrueremur exacte etiam de externis, quæ ægris applicanda veniunt, ne deinceps in noſtra praxi adeo anxie tegeremus noſtos ægros, aut eos in ſua ſpurcicie ſepultos quaſi relinqueremus, & ne aerem adeo ſemper inclusum vellemus.

Decubuerunt in eodem noſtro Noſocomio práctico ſub cura celeb. *Hæni* primis annis tres medicinæ ſtudioſi petechiis & miliaribus laborantes.

Doctissimus Ritter medicus eodem in loco ſimili morbo detinebatur, & peggime ſe habuit: ſæpius celeb. *Hænius* ex pulſu &c. nobis exanthemata eruptura in hoc ægro prædixit: tandem, cum ea non comparerent, amare coram nobis lamentabatur: appli-

cata sunt interna remedia maxime penetrantia, stimulantia, sudorifera; apposita sunt inguinibus, regioni ventriculi, & ipsis locis subaxillaribus epithemata vinosa, aromatica, ut natura ad expellendum excitaretur: centies celeb. *Haenius* prehendit candelulam, totumque lustravit corpus: an non vestigium exanthematicum videret; advocabamur & nos, ut sollicite inspiceremus, sed æque parum vidimus, exanthemata erant immo-
rigera, & miser obiit.

Ex his patet evidenter, nondum tunc temporis celeb. *Haenio* in mentem venisse miliaria &c. *facilitia* esse omnia, & ea esse nunquam *critica*.

Interim omni laude tunc semper coram nobis *Haenius* cumulavit *Störckium*, medicinæ Assistentem, & eum plurimum commendavit illust. nostro *Præfidi*.

Hæc erant felicia illa tempora.

Omnis honore, amore & reverentia summa prosequabantur *Haenium*.

Verum brevi excidimus tantis gaudiis: incepit *Haenius* fastu turgere, dictatoriam potestatem in rebus medicis sibi arrogavit; se solum arbitrum, se solum doctum credidit, & neminem sibi parem.

In Libro suo de difficultatibus circa modernorum systema de sensibilitate & irritabilitate dicit, „Sæpe nū
„ mero mecum miratus sum tristem
„ illam, at simul inevitabilem necef-
„ sitatem, qua (Esdræ 2. Cap. 25.)
„ ISRAELITICA GENS una manu
„ Regiæ civitatis muros construxisse
„ legitur, altera, qui id impedirent,
„ propulsasse: mirari autem desino,
„ dum publici vi muneric una veluti
„ manu artem humanæ saluti sacram
„ munire, errores autem eidem ad-

„ versos altera propulsare videor---
„ ita nunc denuo in quæstione de
„ sensibilitate & irritabilitate par-
„ tium humani corporis arma ca-
„ pio , medicinam ab hoc noxio
„ mihi viso systemate defensurus &c.

Bellum tunc indixit viris in arte
maximis , & dum non illico darent
victas manus , in illos insurrexit acer-
rime.

Monebant *Haenium* tunc amici , ut
in scribendo moderaretur styli acer-
bitatem ; ast noluit , credens sic ar-
gumentorum suorum robur enervari ,
si mitius ageret cum adversariis.

Tandem dum amici his monitis
magis infisterent , excanduit , dicendo
paucis : rem suam hic agi , se esse
omnibus parem , se metuere nem-
inem.

Hinc aspernum scribendi stylum
continuavit , & indignis conviciis vi-
ros doctissimos cumulavit . Si quis

eorum catalogum velit legere, vi-
deat celeberrimi *Tyffotti* Litteras ad
Clarissimum *Hirzelium* pag. 2. 3. 4. &c.

Interim *Störckius* Assistens valedixit
Nosocomio práctico, & publicas at-
que maximas *Haenio* gratias egit, uti
in ejus dissertatione de *partu naturali*,
difficili, & *præternaturali* videre est.

Haenius *Störckium* tunc munivit
optimis attestatis medicis, quibus
eum ad quodcumque in medicina mu-
nus aptum dignumque judicavit.

Tandem *Störckii* curæ committe-
batur magnum Nosocomium *Pazma-
rianum*.

Lætus ille, quod jam tantum obser-
vandi, artemque exercendi campum
obtinuisse, eandem prorsus methodum
suis ægris adhibuit, quam bo-
nam utilemque expertus erat in No-
socomio práctico.

Præterea a primo die, quo No-
socomii curam in se suscepit, notavit

ægros, eorum morbos, morborum Symptomata, curas, atque mortes, ita quidem, ut veras felicium infeliciumque casuum historias haberet accurate conscriptas.

Anno finito hæc omnia in ordinem redegit, curavitque imprimi sub nomine *Anni Medici primi*

Erant hoc anno multi in Störckii Nosocomio, qui miliaribus ægre decumbebant, horum historias curationesque eadem fidelitate & eodem candore *Störckius* adnotavit, qua id facere solebat in Nosocomio practico, cui præerat *Haenius*.

Vera igitur vidit *miliaria*, vidit & ea ægris supervenire maximo cum morbi & symptomatum *Levamine*; audebat ideo pronuntiare secundum artis *Hippocraticæ* regulas, ea esse *critica*, & esse ægris persæpe salutifera.

Ve-

Verum *Haenius* tunc jam bellum acerrimum gessit contra eos omnes , qui morbos *miliares* , *petechiales* & *crederent* posse criticos esse.

Et hæc erat causa , quod *Haenius* *primum annum medicum* à *Störckio* editum superciliosa fronte suscepserit , & tandem contempserit , quamvis eum omnes boni totius Europæ practici summopere collaudaverint.

Störckius tamen solito candore fervoreqne suas observationes continuauit , & edidit suum *secundum annum medicum*.

Observationibus suis *Störckius* nullam intermiscebat theoriam , unde enarrabat solummodo ea , quæ ex decubentium symptomatibus collegerat.

Simplex *hippocratica* observatio , & iterata saepius experientia , eum de nno coegerunt , ut , toties convictus ,

B

tandem etiam in *secundo Anno Medico,*
miliaria dixerit esse posse *critica*.

Consentiebant non tantum practici
Viennenses, sed id etiam verissimum
agnoscabant aliarum nationum Viri,
in Arte Medica expertissimi.

Haenius vero hoc temerarium ju-
dicavit, totumque *Störckii* opus vitu-
peravit, neglexit, condemnavit.

Et fane laudabile adeo opus a
Störckio scriptum, & orbi litterato
communicatum, debuisset *Haenio* esse
quam acceptissimum, dum *Störckius*
tantum ea fecit, quæ bona vidit in
Haenii Nosocomio, unde pars laudis
plurima in *Haenium* redundasset.

Imo præceptum *Haenii* etiam in
hoc casu quam exactissime secutus est
Störckius; nam toties nos iussit *Haenius*,
ne unquam juraremus in verba
Magistri, dicendo semper: ibi bo-
nam esse cœpisse medicinam, ubi me-
dici turpe servitutis jugum excusse-

runt, ubi non amplius fictis Hypothesibus adhærebant, verum solam naturam ducem sequebantur.

Ast invidia pervertit *Haenium*, & superbia, dominandique ambitio eum seduxerunt.

Interim *Störckius*, quo cœpit, trahite perrexit, nullis litigiis se involvit, conabatur tantum, ut ea exacte præstaret semper, quæ viri honesti essent & boni medici.

Demum collecta sua de Cicuta experimenta, suasu illust. *Præsidis Van Swieten*, conscripsit, & edidit *primum* de hac herba *libellum*.

Hunc libellum ipsemet *Störckius* maxima cum reverentia obtulit *Haenio*; verum is illum recepit facie morosa, nec egit gratias, nec dixit verbulum; sed sese vertit, & *Störckium* solum in cubiculo stantem reliquit.

Gratum quidem hoc *Störckio* non erat, quoniam videbat, eum sibi præ-

B 2

ter rationem infensum , quem suum
perpetuum fautorem semper credit.

Nihilominus *Störckius* propterea
nec odium nec iram contra *Haenium*
sovit, probe gnarus , hæc fata hu-
mana esse, ideo pacato animo sua ex-
perimenta diligenter continuavit, &
anno post dedit *secundum de Cicuta libel-
lum*, dein *supplementum necessarium de
Cicuta*; tandem nova experimenta de
Stramonio, *Hyosciamo*, *Aconito*, *Col-
chico &c.*

Mox lecto primo de Cicuta libello
incepit *Haenius* omnes domos percur-
rere, ut de horrendo ausu cicutam ex-
hibendi certos redderet mortales.

Dixit maledictam esse hæresim ,
quæ novæ plantæ haec tenus neglectæ
& venenatæ habitæ usum internum
medicum suaderet.

Dixit se sua conscientia suaque re-
ligione impelli, ut gladium stringeret,
viresque suas omnes convocaret, qui-

bus in ipsis cunabulis teterrimam hanc pestem trucidaret, & deleret penitus.

Conquisivit sibi etiam copias auxiliatrices ab exteris, & ideo litteras circulares scripsit in varias regiones, adjuravitque omnes medicos, ne crederent *Störckii* libello; etenim esse in eo omnia ficta & falsa.

Novit *Haenius* sua ita ornare, & pietatis palliolo tegere, ut quemvis primo intuitu in consensum traxisset.

Sed probos retinuit dubios illustrissimi *Van Swieten* authoritas & inconcussa fides; nam impossibile ipsis erat creditu, quod hac in occasione vellet fallere *vir integerrimus*, quem toties **IPSI AUGUSTISSIMI** summum æQUITATIS & *candoris* exemplar appellarent.

Nec credere poterant illustrissimum *virum* falli potuisse in cancro exulcerato dignoscendo, quem per Cicutam curatum viderat; nota erat

B 3

ejus profunda scientia, & notum erat
nimium illud, quod is supra morbum
hunc scripserat.

Nihilominus artibus suis *Haenius*
deterruit plures, ne suspectæ per tot
sæcula plantæ usum tentare in ægris
auderent.

Et ipsem ex cathedra publica
per multos menses absque interruptio-
ne, voce semper irata & inimica,
debachabatur contra *Störckium*; *Ci-
cутam* damnabat, & *Cicutariorum* (sic
vocabit illos, qui *Cicutam* utilem dice-
bant) animas ægrotantes misit ad in-
feros, & ad ignem æternum.

Tandem auditores medicinæ indi-
gnarum harum nugarum pertæsi con-
querebantur apud illust. *Præsidem*, quod
ex *Haenii* lectionibus nil omnino ca-
perent utilitatis, quod tempus frustra
perderent, nec audirent, nisi injurias
& calumnias contra viros in medicina
maxime meritos; cum *Haenius* solam

Cicutam perstreperet; & eius inventorem dilaceraret.

Illusterrimus Praeses van Swieten, qui dudum amice monuerat Haenium, sed incassum, demum authoritate sua usus, interdixit Haenio: ne in cathedra amplius de *Cicuta* loqueretur, sed daret collegia ex instituto praescripta, & studiosis utilia.

Haenius hoc ægre tuit (oblitus sui officii) coepit flere, lamentari; Illust. Præsidem injustum proclamavit; ejulatu quosdam nobiliores viros, & nobiles matronas ad sui commiserationem commovit.

Dixit, se impune invehia Cicutariis; dixit cicutarios celebrare conventicula, quibus contra eum conspirarent; dixit, Störckium convenire quotidie contra eum cum Crantzio Professore, quod tamen erat falsissimum; imo si verum fateri licet, Störckius contra

B 4

Haenium egit nunquam, sed eum ve-
nerabatur semper.

Nobiles tamen aliqui viri, & præ-
fertim officiosæ matronæ pie crede-
bant omnia, quæ *Haenius* lamentatio-
ne & fletu edixit; eum propterea sub
alis suis foverunt, protexerunt; &
oderunt *Störckium*.

Interim liberrimum erat cuique
sentire, quid velit de *Cicuta*, & aliis
plantis, quas *Störckius* tanquam utiles
ad usum medicum commendaverat.
Nihil certo erat æquius.

Qui quid mali ab his metuebant,
ii sponte abstinebant; qui vero cre-
debant se utiles inde vidisse in morbis
curandis effectus, pergebant in harum
usu.

Sic collectis pacifice & bonis & ma-
lis eventis poterat ars medica promo-
veri.

Hoc erat unicum *Störckii* votum,
qui tam modeste, tam candide *Cicu-*
tam proposuit.

Qui dignantur ejus opuscula lege-
re, invenient *Störckium* longe aliter
scripsisse, quam quidem *Haenius* id
factum contendit.

In primo de *Cicuta libello* in præfa-
tione dixit: „ Ego sane usu Cicu-
„ tæ medicamentum tentasse mihi vi-
„ deor, quod in solvendis invetera-
„ tis Scirrhis & in sanandis cancris val-
„ de utile esse poterit.

„ Neque tamen hujus plantæ vim
„ specificam hic deprædico, neque
„ cuiusdam inventi gloriam ambo; sed
„ desidero unice, ut mei conatus in
„ affliti generis humani utilitatem &
„ emolumentum cedant & applicentur.

„ Quapropter nolle, quis invi-
„ dia, aut ambitione experimenta
„ turbet.

In eodem primo libello pag. 109.
quæstione sexta „si casus obvenirent,
„in quibus acre cancrosum admodum,
„profundas egit radices , omnesque
„humores corruptit, & solida adeo de-
„bilitavit, ut hæ pilulæ solæ haud suf-
„ficerent, an non tunc oporteret cor-
„ticem peruvianum his jungere, ut
„hac ratione ex utriusque virtute pa-
„raretur medicamentum, quod omni
„indicationi faceret satis?

„ Necesse est igitur, ut quivis me-
„dicus symptomatibus supervenien-
„tibus singulari sua industria & judi-
„cio obveniat.

„ His præmissis : jam omnes &
„ singulos medicos oro, ut hoc ex-
„ tractum quacunque data occasione,
„ tentent & adhibeant; sed obsecro
„ simul, ut omne præjudicium omne-
„ que invidiarum genus deponant.:
„ etenim cogitent, similia salutem pro-
„ ximi attinere.

„ Si ex usu quid sinistri experian-
tur, inquirant sedulo, an id ex nimia
mali vehementia? an ex errore
ab ægro, aut adstantibus commis-
so? an ex ipso medicamento pro-
fiscatur? nec illico sine omni ju-
dicio & disquisitione remedium tan-
quam nocivum aut iners condem-
nent; si vero noverint meliora,
ea non vellem, in favorem hujus
remedii negligerent.

In libello secundo de Cicuta pag.
183. obtigerunt tamen & mihi ca-
sus, in quibus Cicuta non profuit, usu
quamvis longo & larga dosi adhibita.
Pag. 286. „ Enarravi plurimos
casus, in quibus Cicuta convenit,
neque tamen contendō, soli Ci-
cutæ semper confidendum esse:
alia subinde remedia debent jungi
Cicutæ, medicus suas indicationes
judiciose sequatur, necesse est.

„ Chirurgus externe mutet, ad-
„ dat, demat, quæ ratio experien-
„ tiis fundata jubet.

„ Multi male meam ex primo de-
„ Cicuta libello opinionem intellexe-
„ runt, etenim putabant me dare re-
„ medium, quod solum sufficiens in
„ omnibus casibus & universale cre-
„ derem.

„ Verum nequaquam id volo, sed
„ adfirmo solummodo; Cicutam præ-
„ stare talia, quæ alia remedia ma-
„ xime heroica nequeunt.

„ Cancrum curat, id multiplici ex-
„ perientia convictus vidi.

„ Nec tamen affero, omnem in-
„ de cancrum curari.

„ Nec affero soli tantum Cicutæ
„ opus totum esse semper commit-
„ tendum.

„ Ex centum ægris, quos alii me-
„ dici dereliquerunt, & habuerunt

„ pro desperatis, si unum ego servo
„ & curo, mihi sufficit.

In supplemento necessario de *Cicuta* pag. 32. „ adeo bonos & adeo
„ manifestos de Cicuta in Nosoco-
„ mio effectus quotidie videmus, ut
„ non tantum artis studiosi, sed alii
„ ignari, qui circa ægros sunt, mi-
„ rentur & obstupescant.

„ Verum tamen sunt quidam ca-
„ fus, qui non succedunt.

„ Morbus enim si jam nimium
„ fuerit progressus, aut si totius cor-
„ poris habitus fuerit penitus destru-
„ ctus, quis est, qui curabit? aut
„ quænam medicina sanitatem pro-
„ mittet?

„ Nos nec facimus, nec cupimus
„ a nostris medicamentis miracula,
„ sed attendimus quoisque possimus
„ arte pervenire.

„ Si obstaculum invenimus, con-
„ sideramus: an id arte superandum;

„ dum id præstare non possumus,
„ agnoscimus nos esse homines , &
„ adhuc multa ignorare.

„ Nequaquam nobis imaginamur,
„ nos aliis esse arte majores , sed cu-
„ pimus quotidie vel ab infimis do-
„ ceri.

„ Rogamus autem quoque alios,
„ ut eadem mente in nos utantur,
„ si erramus , aut erravimus , nobis
„ monstrant, debita amicitia , & de-
„ centi methodo errorem , & nec
„ erubescemus meliora erudiri, nec
„ erimus pertinaces.

In eodem Supplemento pag. 51.
„ hæc Corollaria ex repetitis expe-
„ rientiis deducta confirmataque sunt.

„ Rogo tamen omnes & singulos
„ medicos , ne fibi persuadeant , me
„ ejus esse opinionis , ut credam :
„ hæc generalia esse , & ubique Ci-
„ cutam debere curare.

„ Dico & fateor palam, me quoque in omni genere habuisse ægros,
„ quibus *Cicuta* non profuit, licet ex
„ morbi similitudine fuisset indicata.

Pag. 52. in eodem supplemento.
„ Vidi ægras pessimo mammæ cancro laborantes, quas *Cicuta* cito
„ juvit: erant autem plures aliæ,
„ quibus *Cicuta* solummodo levamen
„ adtulit; non vero eas curavit;
„ aliæ ex usu *Cicutæ* nullam expertæ
„ sunt mutationem; una alterave *Ci-*
„ *cutam* non potuit ferre.

„ Idem circa alios morbos, in quibus *Cicutam* laudavi, intellectum
„ volo.

„ Hinc tantum contendō, *Cicutam* quandoque prodesse, & mira
„ præstare, ubi alia medicamenta,
„ maxime celebrata & heroica, nil
„ valent.

Pag. 53. in eodem supplemento.
„ Si & alii medici alia adhuc reme-

„ dia inveniant, poterimus successi-
„ ve omnes difficillimos morbos cu-
„ rare.

„ Præterea tamen firmiter semper
„ in mente est tenendum: arti & me-
„ dicamentis esse limites.

„ Cum jam *Cicuta* in eodem mor-
„ bo quandoque profit, quandoque
„ autem nil præstet, certum est: de-
„ bere latere quandam differentiam,
„ cuius signa diagnostica nobis adhuc-
„ dum deficiunt.

Pag. 54. In eodem supplemento.
„ Neque ego solus ad ea determi-
„ nanda sufficio, atque ideo nequa-
„ quam potui hucusque dare firmas
„ regulas.

Fag. 55. in eodem supplemento....
„ Mundo licet sua experimenta fide-
„ liter & caute proponere, cuivis
„ autem medico liberum dein est,
„ velle uti tali remedio, aut velle
„ illud negligere.

„ Nec

„ Nec honorem , nec gloriam ,
„ nec nomen immortale , nec lucrum
„ desidero , vellem tantum esse uti-
„ lis misero & ægrotanti humano ge-
„ neri , vellem calamitates levare ,
„ aufferre , uti cuiusvis medici offi-
„ cium postulat , vellem propterea
„ alii me non turbarent „

In eodem supplemento pag. 56.

„ Cum igitur hoc medicamentum pru-
„ denter exhibitum nequaquam pos-
„ fit nocere , artis officium exigit ,
„ id omnibus plurimum commende-
„ tur , ut fiant innumera experimen-
„ ta , quæ conferantur inter se , com-
„ parenturque secundum omnia signa ,
„ symptomata , eventus ; inquirantur
„ dein rationes & causæ , cur in eo-
„ dem morbo quandoque profit *Ci-*
„ *cuta* , & radicaliter curet , & cur
„ autem quandoque nil efficiat .

„ Visa differentia & inventa rei
„ causa clare patebit : quoisque *Ci-*

C

„ *cicuta* efficacia se extendat , poter-
„ ritque dein dari ratio : cur *Cicuta*
„ non in omnibus æqualiter agat , &
„ tunc facile erit determinandum ,
„ quibus in casibus evidenter conve-
„ niat , in quibus præstet nihil .

„ His in ordinem redactis , poter-
„ mus iis in casibus , ubi *Cicuta* iners
„ est , de alio remedio cogitare .
„ Tali ratione cum ingenti Reipubli-
„ cæ emolumento limites nostræ ar-
„ tis ampliores fient .

„ In eodem supplemento pag . 58 .
„ Licet *Cicuta* sit remedium maxime
„ innocuum , optarem tamen , qui-
„ vis medicus semper a parva dosi
„ inciperet , sensimque augeret .

„ Novimus enim , quam miræ &
„ diversæ sint hominum idiosyncra-
„ siæ , hinc possent quidam esse , qui
„ remedium minus ferrent .

„ Parva igitur dosi nemo pecca-
„ bit , quoniam quivis bonus medi-

„ cus, dum sinistri quid observat,
„ abstinebit a remedio.

„ Verum bene semper est confi-
„ derandum, an accidat id ex medi-
„ camento; an ex symptomatibus
„ morbum concomitantibus? an ex
„ errore in rebus sex non naturali-
„ bus commisso? sunt, qui ex af-
„ sumptis lapidibus cancrorum, qui
„ certo remedium sunt innocentissi-
„ mum, anguntur, vomunt, febre
„ corripiuntur, incident in animi de-
„ liquia; cur non & esse possent, qui,
„ ex latente causa, a *Cicuta* male
„ haberent?

„ Verum, an ideo *Cicuta* non
„ est medicamentum? an *Cicuta* ideo
„ debet damnari? nemo prudens me-
„ dicus ita cogitabit.

Pag. 60. „ Si usu *Cicutæ* ægro
„ cuidam damnum infertur, id pro-
„ fecto (si rem medice & stricto sen-
„ su prehendam) non in medicamen-

C 2

„ tum applicatum , sed in errorem
„ applicantis erit rejiciendum.

Pag. 62. „ Symptomata magis ur-
„ gentia saepe jubent , ut *Cicutæ* usus
„ tam externus quam internus inter-
„ rumpatur pro aliquo tempore , do-
„ nec hæc curata fuerint , aut saltem
„ mitigata.

„ Qui *Cicutam* non ferunt , cum his
„ palliative est agendum , quamdiu
„ aliud remedium ignoramus.

Pag. 67. „ Ex his patet dignum
„ esse , ut cum *Cicuta* fiant expe-
„ rimenta.

„ Ego interim nullam ejus *virtu-*
„ *tem specificam* assero , sed ad regulas
„ formandas mutuam bonorum me-
„ dicorum operam exspecto .

In Libello de *Stramonio* , *Hyoscia-*
mo & *Aconito* pag. 115.

„ Si quis usu & experientia novit
„ aliud remedium , quod meis virtu-
„ te simile vel adhuc efficacius secu-

„ riusque est, oro, adhibeat potius
„ illud.

„ Si vero tale quid non supereſt,
„ liberum cuivis manet, velle dare
„ unum ex meis, vel illud neglige-
„ re, & ægrum relinquere fato.

„ Nemo cogitur, videat tantum
„ quilibet, quid ei sua conscientia
„ dictet, quid jubeat amor, quem
„ proximo debemus.

Pag. 117. „ Paravi interim cam-
„ pum, in quo nobis arandum labo-
„ randumque est, ut morbo decum-
„ bentium calamitates & cruciatus
„ minuantur, leventur, curentur.

Pag. 118. „ Perhumaniter igitur
„ omnes bonos medicos oro, velint
„ ii unita opera meos conatus adju-
„ vare, velint promovere, quod
„ afflito & ægrotanti homini adeo fa-
„ lutare futurum videtur.

„ Et licet præsens sæculum fors
„ supercilioso oculo nostros intueatur

„ labores, id nequaquam nos deter-
„ reat, erunt posteri, qui æquiori
„ animo judicabunt, & meritas no-
„ bis agent gratias.

In Libello de Radice Colchici Au-
tumnalis pag. 72. „ Ego in nullo
„ ægro malum ex hoc remedio effe-
„ ctum observavi, & attentus profe-
„ cto in omnia sum, & ero deinceps
„ semper.

„ Si vel minimum mihi conting-
„ ret unquam, quod ejus usum red-
„ deret suspectum, vel damnaret
„ penitus, ero ego primus, qui pu-
„ blice monebo, ero primus qui con-
„ tra me ipsum arma feram. An
„ quis plus desiderat?

In Libello, quo continuantur experi-
menta, in præfatione : „ Viris scri-
„ bo, qui artem amant & ejus in-
„ crementum, atque recta corda ha-
„ bent, & ab invidia (quod turpe
„ vitium maxime inter medicos uti-

„ nam exularet) penitus sunt immunes.

„ Lites ego nemini moveo , nec
„ rostris nec unguibus mea medica-
„ menta defendo , pacem amo ; so-
„ la ægrotantium salus mihi cordi
„ est , uti & honesti viri officium.

„ Nec lucrum ex meis inventis
„ peto , nec ullam gloriam ambo ;
„ dum quid salutare ægris evenit ,
„ gaudeo & mihi tacite gratulor.

„ Hoc totum est , quod deside-
„ ro , precor & exopto „

Hæc docent clare , quis finis fuerit ,
quæve intentio Störckii , qua se ad
nova invenienda remedia applicuit .

Qui accuratius de his instrui desi-
derant , orantur , ut Libellos ejus at-
tente perlegant .

Haenius omnes Störckii labores &
conatus , quamvis faluberrimos , floc-
ci fecit , damnavit .

C 4

Etenim jam clandestine oderat *Störckium*, antequam is de Cicuta vel mufitasset, quia ausus fuerat scribere in suo anno medico, petechias & miliaria &c &c. quandoque esse *critica*, licet probe gnarus fuerit, *Haenium* contrarium STATUMINASSE sententiam.

Mitior tamen fuit in cathedra *Haenius* post datum ab Illustriss. *Præside* mandatum; verum, si peregrinum vultum in auditorio suo detegebatur, mox cum impetu in fauces ipsi surgebat *Cicuta*, quam nisi eructasset, suffocationis non leve adfuisset periculum.

Advenientes ab exteris medicos mox ad convivium invitavit, eos de subdola *Cicutæ* hæresi commonuit, dubios reddidit, & tandem molesta sua eloquentia coegit, ut secum sentirent.

Störckius semper tranquillus fuit, & illos, qui eum inviserunt, debita

humanitate suscepit, nunquam autem de *Cicuta* aut aliis suis remedii sermonem incepit; dum vero alii eum circa similia rogarent, paucis candide & modeste respondit; *Haenium* semper laudavit, nec unquam mentis suæ emotionem contra ipsum monstravit.

Haenius interim mitior in collegiis, acrior fiebat in scribendis epistolis, & pergebat crudeliter in *Cicutam*, & quos vocabat *Cicutarios* invehi, ubique crepans CXX. sua experimenta, quorum fides erat penes *auctorem*.

Quam suspecta autem hæc fides sit, patebit ex sequenti historia.

Sexta Februarii 1763. venit ad Nosocomium Pazmariandum *Maria Anna Kochin*, annorum 33. nata in Teutschbach in Bavaria, Ictero & immani Ascite laborans.

Missa autem fuerat ad hoc Nosocomium a Celeb. de *Haen*, qui eam

C 5

jam dudum sine ullo effectu multis medicamentis curare annisus est, & suscepta fuit illico.

Vidit illam Illuſtr. van Swieten primis diebus post ingressum in Nosocomium, & parum sperabat de felici curationis exitu.

Tentata fuit *Oxymellis Colchici* efficacia, & post paucos dies inceperunt urinæ prodire ingenti copia, primo profundi icterici coloris, dein sensim minus coloratæ sed copiosæ: abdomen integre detumuit; vires increverunt; læta surrexit; per nosocomium ambulavit alacriter: color naturalis in toto corpore rediit.

Miratus fuit Illust. *Præſes* inexpectatum effectum, & cum illo plures medici & medicinæ studiosi, qui fere singulis diebus hanc ægram viderunt.

Cum faveret tepor vernus, rogavit Illust. *Præſes*, ut diutius retinere-

tur in Nosocomio, & uteretur copia herbarum recentium, illarumque succis: metuebat enim Icteri recidivam, cum adeo gravis fuisset.

Sprevit hoc consilium haec foemina, & cum se in omnibus sanam sentiret, & de futuro parum foret sollicita, exire absolute ex Nosocomio voluit: hinc dimissa fuit 7. Maji ejusdem anni.

Incepit post aliquot septimanas rumor spargi per urbem: in Nosocomio *Pazmariano* malas adhiberi fraudes, ut novorum remediorum vires extollantur.

In foemina illa hydropica, quæ usū *Oxymellis Colchici* curata dicebatur, bis institutam fuisse paracentesim abdominis, & hydropem per cannulam, non per urinas, fuisse evacuatam.

Postea dicebatur, foeminam illam abivisse *Ratishonam*, sic etiam firmiter credebat *Hainius*, tuncque ova-

bundus querelas de tam enormi fraude ad Aulam detulit. Vix enim possibile ipsi videbatur, ut obscura, in populosâ illa urbe latens, fœmina detegi posset, & si detegeretur, probe illa noverat, quid respondendum foret.

AUGUSTA jussit *Præsidem*, ut illico in hoc facinus inquireret: qui sequenti die retulit, medicos, chirurgos, sacerdotes, administratorem rei domesticæ, perpetuo in Nosocomio habitantem, custodes ægrorum omnes paratissimos esse, ut jure jurando affirment, huic fœminæ in Nosocomio nunquam fuisse factam paracentesim.

Mandavit AUGUSTA *Præsidi*, ut nulli labori, nulli pretio parceret, modo hanc mulierem revocare posset Viennam, si jam inde abivisset, scilicet, ut fraudulenti, vel calumniatores punientur.

Sed post paucos dies inveniebatur in Suburbio Viennenfi, & libens rediit in *Nosocomium Pazmarianum*.

Die 14. Augusti ejusdem anni
1763. coram Notario & testibus
idoneis interrogata respondit:

*Se solis medicamentis interne sumptis
curatam esse.*

Nunquam se paracentesin passam fuisse.

Rogata, cur ergo dixerit Celeb.
de Haen coram 40. circiter studiosis,
quod paracentesi aqua educta fuerit,
respondit:

*Se hoc fecisse, quia promiserat ipse
Celeb. HAENIUS ante primum in-
troitum in Nosocomium Pazmariandum,
quod illi succurreret, si sanata rediret,
hinc conabatur sic ejus misericordiam
excitare.*

Fatetur simul, quod Celeb. *Haenius*
ipso aliquoties pecunias dederit.

Simul etiam confessa est, quod Celeb.
Haenium adiverit monente quodam
practicante (sic solebat illa vo-
care medicinæ auditores) quem ex
vultu facile distinguere posset inter

plurimos: ille dixerat Professorem
iratum fore, nisi veniret.

Fatetur, quod Celeb. *Haemio* di-
xerit, quod propter inopiam redditu-
ra fit Ratisbonam: cum autem ante
quatuor septimanas occurreret forte
Assistenti medicinæ Collegii practici
Haeniani, ille statim eam interroga-
vit his verbis: *Ist denn Sie noch
hier?*

Cæterum præter medicos & chi-
rurgos Nosocomii invitati fuerunt &
alii ex civitate, qui omni cum cura
examinaverunt totum cutis abdomi-
nis ambitum in hac muliere, & una-
nimiter testati sunt, nullum vestigium
tentatæ paracentesis adesse.

Delata fuerunt omnia hæc testimo-
nia ad pedes A U G U S T Æ, quæ man-
davit *Præfidi*, ut totam rem ad judi-
cem ordinarium deferret, ut secun-
dum leges Calumniatores puniren-
tur.

Verum *Præfes* noster inclinans in mi-
tiorem partem, cum fama medico-
rum accusatorum in integrum jam re-
stituta foret, iteratis tandem preci-
bus a clementia A U G U S T Æ obti-
nuit, ut ad publicam Nemefin non de-
ferretur crimen.

Servantur tamen & servabuntur
diu in archivis Nosocomii Pazmariani
haec testimonia, fidei *Haenianæ* lucu-
lenta specimina, ut omnibus de hac
re forte dubitantibus monstrari possint.

Ex his patet, quam infelix sit
Haenius in eruenda veritate, dum alio-
rum ægros examinat, ubi tamen haec
historia erat quam recentissima.

Et inde evidenter concludere li-
cet, qualem fidem mereatur illa
Haenii assertio, quam habet in Episto-
la sua de *Cicuta* ad Celeb. *Trallestum*
pag. 28. ubi post sesqui alterum an-
num examinans puellam usu *Cicutæ*
curatam, falsi insimulat curam, & di-

cit, cancrum exulceratum fuisse tan-
tum mammæ inflammationem, quæ
in suppurationem octidui spatio abi-
verat, & crurum ulceræ fuisse binas
pustulas scalpendo laceratas, & alte-
rum scintilla decidua excitatum.

Curam, quam *Hænius* incusat, con-
tinet *Störckii libellus* secundus de *Cicuta*
pag. 253. & sic sonat:

„ Virgo, 17 annorum, cancrum
„ apertum non admodum magnum
„ in mamma sinistra habuit, & pedes
„ ambo fœdissimis ulceribus erant
„ exesi.

„ Mammam sola *Cicuta* spatio
„ trium mensium curavi; verum ad
„ ulceræ pedum consolidanda quin-
„ que n.ensibus erat opus.

Hanc curationem perfecit Celeb.
noster Chirurgiæ Professor *Leber*: ex
illo igitur genuinam rei veritatem ro-
gavimus, & respondit sequentia.

Curam

„ Curam hujus puellæ inchoavit
„ Archiater Störk: cum autem is
„ tempore æstivo propter aulæ offi-
„ cium debuerit Hetzendorfii degere,
„ mihi eam perficiendam tradidit.

„ Inveni in mamma sinistra Scir-
„ rhum cancrose exulceratum, pedum
„ autem ulcera jam clausa erant;
„ contigit autem, ut sub ipso *Cicutæ*
„ usū cicatrices iterum unguibus scal-
„ pendo in uno crure dilaceraverit
„ puella, effeceritque scalptu con-
„ tinuo ulcera pertinacia, pessima,
„ quæ tamen continuato *Cicutæ* usū
„ etiam consolidata sunt,

„ Post sesqui annum oriebatur in
„ eadem mamma levis inflammatio:
„ suauis aliorum dein hæc puella adiijt
„ *Haenium*, qui ex anamnesi perce-
„ pit, eam jam olim in hac mamma
„ vitium quoddam habuisse, quod
„ Dominus *Leber* curasset.

D

„ Audito hoc, conjuravit statim
„ Haenius puellam & eandem adeo
„ confusam reddidit, ut ad omnia
„ sua interrogata annuendo respon-
„ derit.

„ Idem examen me præsente rei-
„ teravit *Haenius*, sed callido & astu-
„ to modo; rogavi dein, ut & mihi
„ liceret statim ejus in præsentia hanc
„ puellam examinare: verum *Haen-*
„ *i*us mox iratus e sede sua surre-
„ xit, & extensis brachiis (*Jovis*
„ fulminantis ad instar) exclamavit:
„ Tace Domine LEBER! anima tua
„ ægrotat, cave, ne æterno igne punia-
„ ris: his dictis evanuit.

„ Novit argutus *Haenius*, si ego
„ debito modo puellam examinarem,
„ etiam in sua præsentia, quod res
„ longe aliter eveniret; etenim ex
„ ipsis cicatricibus artem intelligen-
„ tes jam videbant *Haenium* iniquam
„ contra me sententiam statuere,

„ & propterea subito ausfugit, ne ego
„ forsan acrius insisterem, & eum ra-
„ tione convincerem.

„ Nunquam autem credidisse,
„ quod *Haenius* adeo indigno modo
„ de me cogitet: ignarum me hic
„ appellat & fallacem, quum frau-
„ dulentam suggestissim curationem,
„ nec novissim cancrum ab inflam-
„ matione distinguere, nec scirem,
„ quid esset ulcus.

„ Sum tamen ego ipsissimus ille
„ *Ferdinandus Leber*, quem *Haenius*
„ a primo momento, quo Vieniam
„ venit, in rebus dubiis & arduis
„ chirurgicis consuluit.

„ Expertus est toties bona esse
„ mea confilia; ea collaudavit, &
„ cum emolumento ægris applicuit.

„ Sum ego ille ipsissimus, qui plu-
„ rimas & difficiliores operationes in
„ Nosocomio práctico coram studio-
„ forum medicinæ & chirurgiæ co-

D 2

„ horte, & coram plurimis medicis
„ & chirurgis felicissime institui.

„ Vidit tunc *Haenius* meam peri-
„ tiā; vidit meum candorem, qui
„ quidem illi quandoque non placuit;
„ etenim in aliquibus casibus, ubi
„ contrarium sentiebam, aperte &
„ candide dixi, nec celavi coram
„ *Haenio*, quid de *Cicuta* sentirem,
„ & enuntiavi saepius coram suis au-
„ ditoribus, *Cicutam* esse medica-
„ mentum valde egregium, idque in
„ meis collegiis junioribus commen-
„ davi, & de externo *Cicutae* usu
„ denum libellum conscripsi. Et
„ inde natum est *Haenii* contra me
„ odium infatiabile.

„ Nihilominus ubi meo artis au-
„ xilio opus habebat, novit me ro-
„ gare & invitare humaniter, nun-
„ quam autem data hora dictatorio
„ modo me vocare, quasi ab ejus
„ jussu dependerem.

„ In eadem ac ille professoria au-
thoritate sum constitutus, vellem
„ propterea, ut dum de me scribit,
„ decentiori calamo id faceret, & co-
„ gitaret, quem Professor Professori
„ honorem debeat.

„ Dicit quoque in eadem pag. 28.
„ Haenius, quod me ita convicerit,
„ ut jam ultra me defendere non po-
„ tuerim.

„ Pulchra profecto convictio, uti
„ ex prædictis clare patet!

„ Quod autem me defendere non
„ potuerim, licebat *Trallesio* scribere,
„ qui me non novit; aliter autem
„ cogitant Viennenenses; nec ipse *Hae-*
„ *nius*, cui nimium notus sum, cre-
„ dit, mihi unquam defensionis arma
„ deficere posse.

„ Is enim æstate præterita exper-
„ tus est in Nofocomio *Sancti Marci*,
„ ubi ego chirurgus primarius sum,
„ quanta cum constantia & quanto

D 3

„ cum fervore veritatem & jura mea
„ noverim tueri.

„ Inde enim illum cum suis Apo-
„ stolis expuli , quum ægrum meum
„ jugulare voluit. „

Celeb. *Leber* hisce se candide de-
fendit , & credimus , quod sufficienter
responderit ad ea , quæ *Haenius* in
Epistola sua ad *Trallesium* contra eum
afferit.

Promisit *Haenius* in eadem hac Epi-
stola *Trallesio* , se Cicutæ Encomiasten-
fore , si unquam convinceretur : opus
quidem non est , ut *Haenius* Cicutæ
laudes canat , & is hæc scripsit , ut
callide suam invidiam celaret , & ut
spem fallacem daret futuræ suæ emen-
dationis ; nos , qui perfecte novimus
Haenii piam astutiam , his promissis ne-
quaquam laetamur . *Æthiops* a ni-
gredine lavari non potest.

Et habemus hoc mense Januario ,
quo scribimus , evidens impossibilis

emendationis *Haenianæ* testimonium:
aderat *Haenius* in consilio medico
quintus, & quatuor reliquis medicis,
dum *miliaria* prodibant manifestissime,
negavit audacter illa adesse, & jussit
vocari **SUDAMINA**. Indignabatur
Haenius tunc summopere contra milia-
ria, eisque in corde suo maledixit,
quum se præfente, se curante, au-
derent in conspectum venire, licet
ille ea **STATUMINASSET**, mala tan-
tum arte & medicorum ignorantia pro-
duci.

Interim æger magnum inde leva-
men habuit, & a repetita miliarium
eruptione e periculosissimo morbo
convaluit.

Similes historiæ cum *Haenio* saepius
obvenerunt nostris practicis Viennen-
sibus, & viderunt inde luculenter,
quid ab ejus docilitate exspectandum
habeant.

In ipsa hac Epistola ad *Trallesium* sibi *Haenius* jam ubique diverticula parat, ut elabi posset semper, quamvis urgentissimis premeretur argumentis.

Apud *Haenium* natura sanat Scirrhos, qui indomabiles videbantur omnibus, vide pag. 44. Epist. ad *Tralles*. imo & mamma cancerosa cum Scirrho sub axilla sponte sanata fuit.

Natura in gangrenam vertit cancrum, vide pag. 42. qui bidui spatio cecidit: sed dum vix pollicem æquaret relictum ulcus, novus ex ejus medio cancer excrevit, mensis spatio priorem magnitudine æquans.

Hinc monet *Haenius*, si post datam *Cicutam* similis mutatio contigisset, omnes cancri lapsum huic remedio adscripissent, & errassent tamen.

Ante 20. & ultra annos Illust. *van Swieten* in capite de cancro anxie optabat, ut posset Cancrum in gan-

grænam convertere, tunc enim magna spes curæ foret.

Raro hoc natura fecit, imo quam rarissime, & in casu ab *Haenio* memorato Cancer iterum rediit æque magnus.

Lætus vidit nobiscum Illustrissimus *Præses* saepius contingere, ut Scirri & Cancri, post *Cicutam sumptam*, in gangrænam vertantur & decidunt. Sic enim voti compos factus est, & ars jam imitatur (sed integra Sanatione) quod natura tantum tentavit.

Et ii longe citius curantur, quibus cancer usu Cicutæ in gangrænam mutatur, hoc pluribus in casibus pulcherrime confirmatum vidimus. Liceat unicam enarrare historiam.

Misit Illustrissimus *van Swieten* Virginem, 19. circiter annorum, ad Nosocomium *Pazmarianum*, ut a magno mammæ scirro, qui foedissimo

D 5

ulcere cancroso erodebatur, si possibile esset, curaretur.

Huic statim interne & externe applicata est *Cicuta*; primis diebus nulla prorsus fiebat mutatio, nisi quod dolores, qui noctes insomnes reddiderunt, paulo mitiores fierent.

Dum autem per octiduum idem remedium esset continuatum, ulcus coepit majus fieri; aucti sunt dolores, & effluxit copiosa sanies, pulsus tamen fere naturalis mansit, & constiterunt ægrotantis vires.

Et ideo licuit in ejusdem remedii usu externo & interno pergere, vesperi solummodo dabatur emulsum paregoricum, ut dolorum vehementia minueretur.

His continuatis intra triduum totum, quod erat cancrosum scirrhosum ve, mutatum fuit in gangrænam.

Facto hoc, ut muniretur massa sanguinea contra putredinem, datus

est cortex peruvianus, & abstinebatur ab interno *Cicutæ* usū, externe applicatum autem fuit fomentum ex decocto Corticis peruviani & æquali parte infusi saturati *Cicutæ*.

His intra paucos dies omne gangrenosum separatum fuit, & ulcus erat purissimum.

Unde seponebatur cortex peruvianus, & datum iterum fuit *Cicutæ* extractum, & externe apposita sunt linnea carpta, imbuta *Cicutæ* infuso, quæ dein *Cicutæ* emplastro tegebantur.

Hac ratione sola intra breve tempus a pessimo cancro curata est hæc puella felicissime, & sanissima est adhucdum.

Vidit eam Illustrissimus van Swieten antequam medici Nosocomii *Pazmariani* vel verbum inde scivissent; agnovit Illustrissimus van Swieten scirrum cancro exesum, & adivit tunc saepius Nosocomium *Pazmariandum*,

ut ipsem omnem mutationem observaret, vidit dein puellam perfecte curatam, & optime valentem.

Pag. 58. statuit *Haenius*, aquam curasse, si post cicutam felix sequatur successus, imprimis si cum ficcato chærophyllo decoquatur. Juscula ex hac herba parata communis satis usus sunt.

Sic sub virtute aquosa fibi novam effugii portam struit, qua abire, erumpere, & evadere possit, dum Cicuta cum emolumento exhibita fuit.

Sed moliatur *Haenius*, quæ velit, non impetrabit unquam, ut Cicutæ fors ab ipsius assensu, multo minus ab ipsius autoritate dependeat.

Alethophili Viennenfes, qui simulatum *Haenit* candorem noverunt, ipsius assensu facile carebunt; ii nemini obtrudere cupiunt vel Cicutam, vel alia *Störkii* medicamenta, sed nullus

mortalium extorquebit libertatem il-
lis utendi.

Infelix Vates *Haenius* jam ante ali-
quot annos tanquam ex Tripode præ-
dixerat, intra biennium altum futurum
& perpetuum de Cicuta silentium.

Ex cathedra publica se se præ omni-
bus aliis laudando triumphi lauream
jaçtitavit suis auditoribus, imo fibi pu-
blice datam potestatem simulavit, qua
eos redigeret ad officium, qui vel
eminus suspicarentur, Cicutam posse
bonum effectum præstare; jam pedi-
bus calcavit Cicutarios; & Cicutæ
inventorem *Störckium* jam omni digni-
tate, honore, & fide privavit, desti-
tuit, exuit.

De reportata tunc victoria se cer-
tissimum ideo credidit *Haenius*, quum
fictis suis lacrymis & piis enarratiuncu-
lis quosdam ad sui commiserationem
commovit, qui ei suum patrocinium
promiserunt, ejusque egerunt cau-
sam.

Postquam autem accuratius novis-
tent *Haenium*, rogarunt, ne hac ex
causa ipsis amplius esset molestus.

Sic *Haenii* spem fefellit eventus.

Cum autem nec Attici Sales *Tys-
foti*, nec acrius lixivium celeb. *Crant-
zii*, vid. *Crantzii solutiones difficultat.
circa irritabilit.* 1761.; nec lepida
& arguta epistola, quam Lippi & Ton-
fores de vindiciis *Haenii* ad Illust. *Hal-
lerum* scripserunt, editio Hanov. 1762,
ullo modo emendaverint piam *Haenii*
bilem, nos operam & oleum ludere
nolumus, & relinquimus hoc.

Vel tribus Anticyris caput insanabile.
Expedit tamen, ut quædam adhuc pau-
cis tangamus, quæ scribillat *Haenius*
in sua ad Trallesium epistola.

Pag. 6. dicit, quod Comitem *Ron-
calli Parolino* infensum sibi reddiderit
ideo, quod Mantuae 1760. mense
Septemb. Cicutæ efficaciam defen-
deret.

Litteras autem scripsit *Haenius* 7.
Aug. 1761. ubi dicit, quod per annum, & dimidium, imo & per biennium integrum Cicutam frustra dederit.

Quomodo hæc cohærent?

Prodiit primus de Cicuta Libellus
1760. mense Januar. & ibi jam erat
Haenius hostis infensissimus *Störckii* &
Cicute.

Pag. 7. *Haenius* acerbe queritur
ad *Trallesium*, quod Illustrissimus *Præses*
permiserit impressionem libelli se-
cundi de Cicuta &c. dein addit: *non
expedit hic enarrare, quis fuerit hujus
colloquii finis.*

Adivimus Illustrissimum *Præsidem*,
rogantes, ut nobis hoc ænigma revela-
ret, quod solito suo candore luben-
tissime fecit, dicendo:

I. *Se nunquam vidisse 23. illa dia-
ria ægrorum, de quibus HABNIUS lo-
quitur.*

II. Finem colloqui fuisse: quod facultas medica nihil determinaverit de Cicuta, hinc nunquam posset de fama periclitari, ceterum præli libertatem requirere, ut omnes libelli pro Et contra Cicutam libere imprimarentur Viennæ, libere venderentur, si alibi impressi advenirent.

III. Quod rogaverit Haenium, ut binas mulieres, cancro mammæ exulcerato laborantes, in Nosocomium suum, quod illustr. Præsidis ædibus propinquum erat, susciperet.

Recusabat Haenius, incusans factorem Cicutæ, aliis ægris ibi decumbentibus molestum futurum.

IV. Interim de bello, eadem die Haenio indicto, se nihil omnino novisse.

Ex his facile patet, cur sibi non expedire judicaverit Haenius, ut adderet hujus colloquii finem.

Potuisset jubere illust. Præses, non rogare Haenium: sed maluit hæc tentam-

tamina committere Medicis *Nosocomii*
Pazmariani.

Inde patet simul ratio, cur in Vien-
næ Vico (vide epist. pag. 17.) ubi
Nosocomium illud situm est, plura,
quam alibi, cum Cicuta, Aconito &c.
experimenta instituantur; notanturque
ibi singula, boni ac mali vel dubii
eventus.

Nec metuunt ibi Cicutæ fætorem
auctum iri præsentia Illust. *Præsidis* ;
imo gratulantur fibi, ut videre est in
Störckii libello de Stramonio, Hyosciamo & *Aconito* pag. 113. & 114. ubi
sic scribitur. „ Hæc & alia experi-
„ menta usu *Cicutæ, Stramonii, Hyo-*
„ *sciami*, & *Aconiti* instituta, intra-
„ privatos parietes facta non sunt, ve-
„ rum instituebantur in publico No-
„ socomio, ubi plures peritissimi me-
„ dici ac chirurgi ægros a principio
„ ad finem usque viderunt.

E

„ Maxime autem nobis gratula-
„ mur, quod Illustrissimus liber Baro
„ van Swieten (æquissimus harum re-
„ rum æstimator) sæpius nostrum No-
„ focomium accedat, ægrosque, qui
„ ad experimenta adhibentur, ex-
„ minet, morbique atque curationis
„ decursum accurate observet, ita
„ quidem, ut nullum de rei veritate
„ dubium remaneat, cum hac ratio-
„ ne plures curationes propriis ocu-
„ lis vidi.

„ Infinitas propterea *ipſi* gratias
„ debemus, quod hunc laborem in
„ ſe fuscipere fit dignatus; ſua præ-
„ ſentia nobis ſemper novus addeba-
„ tur ſtimulus ad continuanda & per-
„ ficienda ulteriora experimenta. „

Nemo jam mirabitur, quod abſurdam adeo repulfam ab Haenio paſſus
Illustr. Praefes contempferit Haenii invitationem (vide pag. 10. epift. ad
Tralles.) ut videret nempe Cicuta uten-

tes ægros, quos non examinaverat, antequam *Cicuta* inciperent uti.

Cæterum eadem præli libertas *Cicutam* defendantibus & improbantibus manet Viennæ.

Vix binæ hebdomadæ elapsæ erant ab adventu Epistolæ *Haenii* ad *Tralles* contra *cicutam*, quin Viennensis Typographus petierit, & statim obtinuerit licentiam imprimendi hanc Epistolam.

Forte displicebit *Hænio*, quod multiplicentur exemplaria, cum non scripta fuerit illa epistola, ut lucem videret publicam, cumque afferat *Hænius* se suppressissime suis impensis primam editionem, casu fortuito tamen eam denuo iteratam esse, & propterea celeb: *Werlhoffium* huius secundæ editionis authorem suspicatur. Pœnitebat jam *Hænium* scriptæ epistolæ ad amicum *Tralles*, nihilominus tamen eodem die, quo hæc testaba-

E 2

tur, Italo medico in patriam redeunti exemplar ejusdem epistolæ dono dedit, ut mox rumor novi hujus operis per Italianam spargeretur. Quid jam dicendum? Totus *Haenius* ænigma est!

De qua foemina *Haenius* loquitur pag. 23. est ea, quam Illust: *Praefes* propriis oculis viderat cancro exulcerato in mamma laborantem, antequam Cicuta uteretur, vidiit eam per totum Decursum curæ; vidiit integre sanatam.

Haenius post biennium ex narratio-
ne mulieris concluserat, quod nunquam
cancro laborasset, & scivit tamen il-
lust: *Præfadem* hujus curæ testem esse.

Sed credimus neminem præter in-
gratum *Haenium* cogitare posse, quod
Illust: *Præfes* ineptus sit cognoscendo
cancro ulcerato, quem vel Lippi &
Tonsores distinguere norunt.

Missa fuit ideo hæc fœmina ad *Hænium*, quoniam Illust. *Præsidis* testimoniūm credebatur omni exceptione majus.

Quam falsissimum est (quod pag. 24. legitur) nos unquam mandato coactos fuisse, ut convinceremus *Hænium*.

Nec minus falsum est, quod per totum biennium postea adhuc Cicuta uti debuerit hæc fœmina.

Æque falsum est, quod secunda vice hanc fœminam miserimus *Hænio* explorandam.

En veram rei historiam! quam Illust. *Præfes* nobis rogantibus communicavit, & quæ ipsis *Hænit* litteris ad Illust. *Præsidem* datis probari potest.

Mulier hæc 17. septemb. 1761. Illust. *Præsidem* adiit, quam cum ex facie optime nosceret, illico rogavit; an aliquid mali in mamma sanata unquam per-

cepisset? negavit: & mox mammam
& firmam cicatricem ostendit.

Rogavit illam, ut vellet celeb:
Haenium adire, & mammam monstra-
re, ut nempe convinceretur de sta-
bilitate curæ.

Mox mulier impalluit, & oculis
lachrymantibus deprecabatur, ne *Haen-*
ium adiret, a quo ante sesqui annum
peffime excepta fuerat, mammam
enim ruditer adeo contrectaverat, ut
dolere denuo & tumere inciperet, un-
de anxia a *Störckio* Cicutam petiit,
qua, per sex circiter septimanas sum-
pta, mamma ad pristinum statum rediit.

Vix impetrare potuit Illust. *Præ-*
fes, ut *Haenium* adiret, sed promisit
quod nihil a rudiori mammæ contrecta-
tione metuendum haberet, & in hunc
finem dedit ipsi sequentem schedulam
Haenio tradendam.

En faminam, quam vidi cancro ex-
ulcerato laborantem ipse, quam vidisib

cura, quam vidi sanatam, potes vide-
re, sed rogo, ut non premas tam for-
titer, quam ante sisqui annum fecisti.
Plures hujus rei testes habeo. Sequen-
ti die renuntiavit haec mulier, quod
celeb. *Haenius* mammam examinave-
rit, sed molliter attractando tantum,
& gratulatus de cura illam mox di-
serit.

Et tamen audet *Haenius* pag. 25.
dicere, quod accuratius cum illa repetie-
rit morbi historiam, & contra testimo-
nium autoptæ *Præsidis* concludit: ean-
dem nec cancro unquam laborasse.

Non ergo haec causa fuit, cur *Haen-
io* non exhibuerimus alia sanatorum
specimina, quod non praesto essent,
sed dum tanta autoritate Illust. nostri
Præsidis firmatum exemplum rejiceret,
certi eramus, *Haenium* negaturum om-
nia: Noctuæ enim lucernam accende-
re, credimus inutile esse.

Pag. 26. *Haenius* memorat historiam fœminæ comedæ, qnæ dum curata dicebatur a cancro, decimo quarto die post perit.

Cum nullus nostrum illam in hoc morbo tractasset, rogavimus Illust. *Prefidem*, an ille quid nosset de hoc casu.

Dicitavit nobis totam historiam.

Mulier comedæ, in arte sua celebris, ante sex annos, casu fortuito ingentem contusionem passa fuerat in hypogastrio: inde mansit obtusior quidem, sed semper molestus dolor. Sic languit, cum autem unicum filium, optimæ spei adolescentem, qui apud Patres piarum scholarum studiis operam navabat, inopina morte perdidisset, omnia mala augeri cuperunt; accesserunt frequentes & profusæ haemorrhagiæ uterinæ, quæ vix non omnes vires exhauserant.

Cum autem misera hæc non tantum arte sua sed & probatissimus moribus se

commendaret, & AUGUSTÆ gratum fore novisset Illuſtrissimus Praeſes, illam locavit in domo, quæ vicina erat ædibus, quas incolit mensibus æstivis, ut tanto ſequiſius illam videre poſſet.

Rogavit autem dominum Lebmacher, qui magno cum fructu artem obſtetriciam hic exerceſet & publice docet, ut mali conditionem exploret.

Retulit ille: quod inueniret os uteri durum, tumidum, dolens, pluribus in locis profundas fiffuras habens, partem uteri, quam tangere potuit, pariter induratam invenit.

Postquam per decem circiter ſeptimanias Cicuta uia fuerat, denuo exploravit Do- minus LEBMACHER illam & retulit ſe- quentia:

Os uteri minus tumet; mollius eſt; minus dolet; fiffuræ minus profundiæ ſunt: uteri durities, quam antea tetigerat, vi- debatur ipſi imminuta eſſe.

Dolorum levamen insigne, Ichoris,
ante effluentis, mutatio in melius, vires
sensim austæ erigebant ægræ animum.

Sed quam falsissimum est, quod un-
quam integrum curam promiserit Illust.
Præsës, multo minus, quod curatam
dixerit.

Periit autem in autumno sequenti hæ-
morrhagia uterina brevibus intervallis re-
deunte exhausta.

Eadem pag. 26. dicit Haenius in se-
cundo de Cicuta libello integrum can-
cri curam totis tribus paginis esse de-
scriptam mulieris, cuius maritus jam
lignum aptaverat, unde statuam Æscu-
lapio suo conditurus esset.

Falsum dicit Haenius, nam credit
matronæ illius Bruxellensis, quæ fœ-
diffimo uteri cancro laboravit, histo-
riam in libello secundo descriptam es-
se, de qua tamen historia ibi nulla fit
mentio.

Matrona hæc Bruxellenfis longo tempore usa est Cicuta optimo cum effectu, ita quidem: ut maritus *Störckio* scripsiterit, fese jam parasse in horto suo marmor, ex quo statuam ipsi erigeret, si cura proficeretur.

Optimæ omnium symptomatum mutationes spem curationis sovebant, *Störckius* tamen integrum curam nunquam promisit, imo iis Bruxellenibus, qui hic Viennæ degunt, quique *Störckio* de bono adeo eventu in hac matrona gratulabantur (nam in suis litteris id scriptum habebant, *Störckius* ne quaquam se jacitavit) respondit *Störckius*, egregias has esse in melius mutationes, spemque curationis augeri; interim in cancro uteri, ubi nec manui, nec oculis aditus datur, omnes eventus esse dubios; latere enim in his partibus quandoque sinus & fistulas, quæ se tardius manifestant; ute- rum quandoque in parte sua convexa

affectum esse, ita ut illud, quod separari debet, viam non inveniat, qua ex corpore egredieretur &c. hinc dum ægræ quandoque fere curatæ videntur, novæ oriuntur sæpe turbæ, quæ brevi vitam finiunt.

Ii ipſi, qui *Haenium* de statua erigenda certiore fecerunt, (ſi *Haenius* dignetur eos rogare) dicent *Störckium* nunquam certo promisſe curam, ſed ſemper respondiſſe, ſperandum eſſe & videndum, quid ſuccesſu temporis contingat.

Errat *Haenius*, dum vel umbram hujus curationis ſe in ſecundo libello legiſſe putat.

Sub finem pag. 26. & in pag. 27. epift. ad *Tralleſium Haenius* haec habet: „Et fi legas in eodem libello ſecondo a pag. 262. ad 277. ovantem de curato pene cancro histriam, an crederes, vir doctissime, cancrum paulo poſt adeo malignum fuiffe, ut fuerit ferro amputan-

„ dus? nec dubites: . . . *vidi, con-*
„ *treclavi, mensuravi.*

Ut, quid subsit, elucescat clarius,
consultum duximus, totam hic recita-
re historiam curationis, quam *Stör-*
ckius habet in libello secundo a pag.
262. ad 277. quæ sic incipit.

„ Dominus *Sylvester O Hebir* ce-
„ leberrimus Pragensis Medicus me
„ de casu sequenti consuluit.

„ Matrona, 21. annum agens,
„ Scirrum ab aliquot annis in mam-
„ ma dextra advertit, & quum nec
„ dolorem, nec ullum incommodum
„ hicce tumor produxit, nullum ap-
„ plicuit remedium. Novem abhinc
„ mensibus inivit matrimonium, va-
„ ria confecit itinera; concepit.

„ Mamma tunc cœpit intumesce-
„ re; fiebat durior; accessit dolor;
„ naturalis mutabatur color; intu-
„ muerunt venæ; noctes factæ sunt
„ insomnes.

„ Remedia externe applicata mammam semper pejorem fecerunt.

„ Multi medici & chirurgi, qui hanc ægram viderunt, de ejus vita actum esse prædicebant, vetueruntque omnem remedii applicationem; probe gnari his cancrum adhuc occultum aperiri, & tandem adferri mortem.

„ Hoc in statu ægra offerrebatur celeberrimo O Hebir.

„ Quoniam autem gravida fuit, noluit quoque sine confilio *Cicutam* tentare.

„ Hinc hac super re mihi scripsit.

„ Vidi ego in pluribus gravidis *Cicutam* optimo cum effectu & sine omni noxa exhiberi, unde suasi, ut Celeberrimus vir in hoc quoque casu eam tentaret.

„ Dignabatur meum sequi consilium, & postea sequentem epistolam ad me dedit:

„ Dignitas rei postularet quidem,
„ ut accuratius absolveretur historia
„ morbi illius, de quo tecum egi in
„ litteris die 27. Julii ultimo elapsi
„ ad te datis.

„ At mihi omnis occasio minutio-
„ ris instituendæ indaginis abrepta est
„ per numerum aliorum periclitan-
„ tium, qui sese curæ meæ subjece-
„ runt, & ob distantiam loci, qua
„ ab Urbe separabatur Illust. illa
„ persona.

„ Hinc non ægre feres, si votis
„ tuis justo minus correspondere va-
„ lens, rem integræ rarioribus ob-
„ servationibus expedivero.

„ Percepta mente tua, mihi ante
„ tres menses transmissa, consilium
„ mutavi, & ad normam positam cu-
„ ram acceSSI exhibendo pilulas duas,
„ granorum binorum, de *Cicuta* ma-
„ ne & vesperi.

„ Dumque fine sensibili effectu
„ hanc administrandi methodum pro-
„ trahi viderim, duplicari dosin jussi,
„ continuavique.

„ Quod per plures hebdomadas
„ factum est; at incasso huc usque
„ molimine, imo in deterius jam &
„ præcipiti passu ruebant cuncta; tu-
„ mor, duries increverunt; accef-
„ sere dolores enormes; color livi-
„ dus, vel plus in nigredinem ten-
„ dens, verbo: quidquid cancrum
„ occultum manifeste designaret, il-
„ lud omne hic aderat.

„ In ancipiti hoc stadio nil consul-
„ tius fieri posse putabam, quam ut
„ augerentur doses.

„ Quare effeci, ut qualibet die
„ absumerentur Extraicti Cicutæ gra-
„ na viginti quatuor: ut sedulo ad-
„ moverentur parti affectæ fomenta
„ cum eadem Cicuta parata.

Hæc

„ Hæc omnia quotidie repetebantur per mensem & ultra.

„ Redeunti denuo mihi, quinta
„ jam fere expleta septimana, en!
„ hæc fuit, quæ seſe obtulit rerum
„ facies.

„ Mammæ ingens moles quadru-
„ plo minor conspicitur, quam dum
„ digitis contrecto, in plurima divi-
„ fam tubercula invenio.

„ Color ater in album & natura-
„ lem conversus est; de dolore vix
„ conqueritur, quodque in hac pra-
„ xi dignum forte notatu est: Hæ-
„ morrhoidalem fluxum copiosum
„ commode sustinuit sine ullo virium
„ lapsu.

„ Palam ego de incomparabili Ci-
„ cutæ effectu convictus, nil pror-
„ fus vel addidi vel detraxi, at eodem
„ tramite insistendo curam ultra feli-
„ citer perficiendam pronuncio &c.
„ &c.

F

„ Illustr. hæc Matrona jam sese
„ accingit ad iter Viennam facien-
„ dum, ubi viva voce hæc cuncta
„ confirmata senties.

„ Ex itinere & curruum succussu
„ mamma iterum paulo pejor fuit.

„ Unde ægra quam primum Vien-
„ nam venit, me fecit advocari.

„ Inveni mammam duobus pugnis
„ fere æqualem, duram, hinc inde
„ purpuream, non tamen valde do-
„ lentem.

Venæ autem fuerunt varicosæ, in-
terim ægra habuit vires bonas,

„ Suasi, ut fomentum ex Cicuta
„ continuo applicaretur; ut ægra in
„ lecto quiesceret, & assumeret quo-
„ tidie grana viginti quatuor extra-
„ eti Cicutæ.

„ Hæc omnia lubentissimo animo
„ ad amissim fiebant, & mamma in-
„ ter paucos dies habuit colorem
„ naturalem; fuit mollior, mobilior,
„ minor.

„ Graviditatis signa erant optima,
„ & in toto naturæ opere nil muta-
„ tum inveniebatur.

„ Mamma fere quotidie in me-
„ liori statu deprehensa est.

„ Tertia septimana, qua hæc ægra
„ Viennæ fuit, finiebatur gravidita-
„ tis terminus; instabat partus, &
„ prodiit filia sana, pinguis, pulchra.

„ Omnia animi erant curiosi &
„ cupidi videndi: an non tenellæ in-
„ fanti diuturnus *Cicutæ* usus no-
„ cuisset.

„ Verum bona prædixi; bona
„ omnia inveniebantur.

„ Sub partu tamen mamma paulo
„ ruidus tractata cœpit iterum dole-
„ re, & postero die rubuit, intumuit-
„ que in molem ingentem; tandem
„ purpurea fuit, dein livuit, & ele-
„ vabatur in tubera, transfudavit se-
„ rum acre, erodens, & merito ti-
„ mebatur cutim tenerimam esse

F 2

„ rumpendam, oriturumque cancrum
„ pessimum apertum.

„ Dolor magnus fese ex mamma
„ per humerum & totum brachium
„ dextrum extendit.

„ Primis duobus puerperii diebus
„ ægra nec externe nec interne cicutam
„ applicuit. Lochia optime fluxe-
„ runt.

„ Tertio die urgentibus nimium
„ malis in mamma symptomatibus,
„ cataplasma ex Cicuta appositum
„ fuit.

„ Dolores inde brevi mitigabani-
„ tur, & lividus color eo statim die
„ dissipatus est, durities tamen &
„ mammæ moles ingens manserunt,
„ neque mutata sunt tubera, quæ
„ rupturam minitabantur.

„ Noctu denique cataplasma ex
„ Cicuta sedulo continuatum fuit.

„ Quarto die mansit in eodem sta-
„ tu; dolores fuerunt vehementio-
„ res.

„ Quinto die mane & vesperi æ-
„ grajam iterum pilulas quinque, gra-
„ norum duorum, assumpsit.

„ Dolores multum minuebantur,
„ & quædam tubera subsederunt, &
„ illud acre, quod per cutim transfu-
„ davit & rosit, vix amplius adver-
„ tebatur.

„ Sexto die omnia iterum paulo
„ meliora fuerunt.

„ Septimo die jam grana viginti
„ quatuor de extracto assumpsit, &
„ cataplasma de Cicuta, quamvis
„ odorem ingratum sparserit, ægra
„ tamen (viso bono effectu) summa
„ cum patientia applicuit; tulit.

„ Omnia puerperii negotia optime
„ processerunt, infans quoque sanis-
„ sima fuit; omni quarto quintove
„ die dosin pilularum auximus.

„ Spatio trium septimanarum usu
„ cataplasmati & extracti Cicutæ

„ mamma ad magnitudinem pugni vi-
„ rilis redigebatur.

„ Color fuit naturalis , cessavit
„ omnis dolor, ægra habuit vires ;
„ potuit brachium fat libere movere.

„ Incipiente quarta septimana jam
„ dabatur quotidie drachma integra
„ extraicti Cicutæ , & ægra quamvis
„ tenella & valde sensibilis nullam in-
„ de molestiam advertit & bene se
„ habuit.

„ Hac ratione optime finiebatur
„ puerperium , & finito puerperio ,
„ in mamma superfuit durities adhuc
„ scirrhosa magnitudine nucis juglan-
„ dis, hæc autem erat mobilis & in
„ omnem partem volubilis.

„ Reliquum, quod circa hanc mo-
„ leculam adhuc præternaturale re-
„ mansit, nequaquam durum, sed pa-
„ staceum fuit.

„ Hæc Matrona optime se habuit,
„ vires bonas recuperavit ; appetiit;
„ bene dormivit.

„ Sensim assumpit quatuor scrupulos extracti Cicutæ quotidie, & cataplasma ex Cicuta tota nocte & tempore matutino sedulo applicatum fuit, post meridiem autem negligebatur, quoniam hæc matrona in liberum aërem motionis gratia se contulit, & in consortio hominum fuit, qui odorem ingratum ferre non poterant.

„ Et amavi id, ut sensim viderem, quomodo mamma se haberet sine cataplasmate.

„ Vidi autem inde nil mali oriri.

„ Decima septimana mammæ molles fuit admodum exigua, illud autem tuberculum scirrhosum fere immutatum perststit.

„ Nihilominus tamen & hoc sensim inæquale & fibrosum fiebat, quod spem dedit, fore, ut suscessu temporis & usu Cicutæ integre solveatur.

F 4

„ Separatæ tales glandulosæ por-
„ tiones scirrhosæ admodum lente
„ quandoque dissipantur ; pertinaci
„ tamen usu funduntur & evanescunt,
„ & quum mobilia sint, si præter omnem
„ spem remedii non obedirent, ar-
„ te possent enucleari, dum necessi-
„ tas exigeret.

„ Hæc matrona menstruum fluxum
„ post puerperium debita copia &
„ citra omnem molestiam iterum ha-
„ buit ; sana fuit, & brachio lateris
„ affecti, quod alias debile & ad
„ longiorem motum ineptum erat,
„ uti optime potuit, exiit in liberum
„ aërem, varios exercuit motus, nil
„ mali inde in mamma sensit.

„ Maritus vi sui officii tunc cog-
„ batur iter sat longinquum suscipere
„ tempore adhuc frigido, aspero.

„ Optavit, ut uxor quæ omni
„ amore & veneratione est dignissi-
„ ma, secum esset.

„ Amici omnes & omnes noti,
„ præfertim autem mulierculæ quot
„ enim tales , tot medicastræ hoc
„ iter optimæ huic matronæ dissuase-
„ runt.

„ Ego autem , consideratis omni-
„ bus: putavi iter non posse noce-
„ re ; hinc neglectis objectionibus
„ (talibus enim si medicus obaudit
„ martyr & mancipium est, suasi, ma-
„ ritum comitaretur.

„ Perficiebatur iter felicissime ,
„ pervenerunt ambo ad locum con-
„ stitutum , fruentes sanitate perfe-
„ cta.

„ Mammæ nihil mali , nihil boni
„ contigit , manferunt omnia in eo-
„ dem statu.

„ Nunc usum Cicutæ tum inter-
„ num tum externum continuat , hinc
„ nullus dubito , fore , ut id quod fu-
„ pereft, integre quoque solvatur.

„ Durante puerperio curam hujus
matronæ gefit Clarissimus ac Ma-
gnificus Archiater Kestler.

„ Primum autem periculum, pri-
mas, & maximas cancri minas per-
tinaci *Cicutæ* usu superavit celeb.
medicus Pragensis sylvester O He-
hir; huic igitur maxime laudes &
grates debentur.

„ Etenim certo certius hoc malo
mater & infans fuissent interemptæ,
si vagorum hominum & medicastro-
rum consiliis, quæ innumera fere
fuerunt, aures & mentem dedissent.

„ Infans jam septimum agens men-
sem adhuc sanissima est.

„ An igitur inde non patet *Cicu-*
tam esse remedium innocentissi-
mum, neque nocere gravidis, ne-
que tenerrimis embryonibus.

Sic se habent Störckii verba.

An hæc adeo *ovantem* curationis
historiam referunt, ubi tamen Stör-

ckius non fibi sed celeb. O Hehir curæ
laudes, ut meretur, attribuit?

Nobilissima hæc Matrona usq; deinceps
est adhuc Cicutæ extracto, sed inde
prosperus nullam amplius mutationem
advertisit in tumore reliquo: interim
nullum inde incommode habuit, con-
ficiens varia itinera; saltando & equi-
tando sese exercuit, & perfecte fana-
fuit, donec ex aëris injuriis incidisset
in febrem catarrhalem, junctam cum
Tussi vehementi.

Post hunc morbum cœperunt re-
licti tumoris circumferentiæ iterum
turgere, nec mirum: cum tussis fue-
rit violenta.

Metuens, ne prius malum rediret,
maluit ægra generosissima, ut perti-
nax hæc portio cultro abscederetur.

Hoc dexterime præstítit doctissi-
mus Brambilla, tunc temporis Lascia-
ni Regiminis chirurgus.

Agitur nunc tantum: an *Haenius* verum dicat, dum scribit: paulo post cancrum admodum malignum rediisse, quem se vidisse, contrectasse, mensurasse ait. Sed & nos vidimus, & centrectavimus hanc resectam mammæ portionem, cuius cutis erat integra & naturalis coloris, nec invenimus vel minimam cancri notam. Sed nostra fides apud *Haenium* flocci penditur. Videamus ergo, an dexterimus operator *Brambilla* afferat mammam fuisse cancrosum ante operationem, & ideo debuisse fieri amputationem.

En eius verba!

Ego infra scriptus testor, quod portio, quam ex mamma Illustrissimæ Comitissæ N. N. Dresdæ die 17. Mensis Augusti 1761. excidi, quamque Viennam misi, nequaquam fuerit CANCROSA; sed incepit iterum relicta adhuc Scirrhosum portio post febrem catarrhalem & vehementem tussim mole augeri; unde ipsa

ægra rogavit, territa priori periculo
(& medici atque chirurgi in consiliis
præsentes id consultum crediderunt) ut
ferro auferretur, ne prius forsitan malum
rediret.

Curata est felicissime hæc ægra Illu-
strissima, quæ toties mihi fassa est, quod
ingens ex usu Cicutæ emolumentum ha-
buerit, & quod a cachexia, qua a te-
neris laboravit, integre liberata esset.

Dabam Viennæ 25. Januarii 1766.

Joan. Alex. BRAMBILLA.

S.C.R. Maj. personæ Chirurgus.

Ubi ne est ille cancer adeo malignus,
quem Haenius vidit, contrectavit, &
mensuravit?

Jam Te rogamus, optime Tralles!
an ullam fidem mereatur Haenius?
credimus, quod quemlibet puderet
etiam juvenem, dum turpis adeo men-
daci tam manifeste convinceretur.

Haenius dicit, Cicutarios mentiri
cancros: ex his autem patet eviden-

ter *Haenium* illud ipsum delictum committere, cuius alios incusat.

Patet & hinc, quam egregie calleat *Haenius* tumorum doctrinam, quamque perspicax sit in iis dignoscendis magnus *jaclator*.

Post biennium dixit *Haenius* scemnam nunquam laborasse cancro, quem tamen se vidisse testabatur ipsi *Illust. noster Praes.*, & quem *Haenius* non viderat unquam.

Abscissam in hac nobilissima ægra portionem mammæ *Haenius* vidit, contrectavit, mensuravit, & dixit esse malignum cancrum, ubi tamen nec umbra cancri aderat.

En novum fidei *Haenianæ* exemplum.

Pag. 31. dicit *Haenius*, quod *Bella Donna* Ichorem in pus convertat.

Si hoc a Cicuta fiat, naturæ opus appellat.

Ipse met *Haenius* vidit sub usu Ci-
cutæ pus ex Ichore fieri, sed non tam
frequenter id observavit, quam alii,
& ideo hoc penitus negat.

Quod de *Bella Donna* scribit in suo
secundo tomo Rationis medendi *Haen-
nius*, illud quoque falsum est, quod
alia occasione demonstrabimus; nam
Diaria habemus.

Pag. 41. habet *Haenius* -- *de animi
aut levioris aut perversi hominibus, qui,
quo aut placeant aut altius promovean-
tur, casus suborment, hic sermonem fa-
cere non convenit.*

Has calumnias refutare nolumus
hic loci, eas interea silentio præter-
mittimus; rogamus tamen *Haenium*,
velit nobis dicere: an etiam illi, qui
in Gallia laudant & laudarunt *Cicutam*,
ejusque tot bonos effectus publico
communicarunt(vid. *Diaria Gallica* scri-
pserint, ut nobis placeant, & hic Vien-
næ altius promoveantur.

Boni quoque casus ex Anglia leguntur, quidne illi petunt? ad quale munus volunt promoveri illi, qui in Hispania bonos effectus & pulchras Cicuta factas curationes subornaverunt? (vide Casimiri Gomezii *Ortegæ commentariorum de Cicuta impressum Madriti cum superiorum licentia 1763*) Et quidnam solvemus *Helvetis* pro suis de Cicuta felicibus casibus (vid. *Aus- handlung der Naturforschenden Ge- sellschaft zu Zürich zweyter Band 1764.* a pag. 420. ad 506.) Placet nobis plurimum Georgius Hudemann, qui Helmstadii dissertationem de Cicuta scripsit, pulcherrimos narrat casus & pag. 27 suæ dissertationis dicit: *Quan- nám vero ratione Cicuta tam admirabi- les edat effectus, & in intinos nostri sorporis recessus penetret, me ne scire publice fatcor, nec fateri erubesco. Suf- ficit tot experimenta, tot tentamina, qui- bus excellentissimæ Cicutæ virtus est ad- jerta*

serta, omni adversariorum exceptione esse majora. Paucis, tantummodo addere liceat, Præsidem nostrum PETRUM IMMANUELEM HARTMANNUM sепtuaginta quinque ægrotis singulis vario, gravissimo, rebelli que morbo laborantibus exhibuisse Cicutam: in quibus sexaginta duobus perfectam reddit sanitatem; tredecim non relevavit; noscuit nemini. Ab, bone Deus! quantæ esset stultitiae, ex omni parte absolutum & panchrestum require re medicamentum.

Dic, oramus te, Haeni! qua ratione remuneremur celeb. Præsidem Hartmannum? Quid faciendum ex Domino Hudemann? nam placet uterque, uterque laudat & probat Cicutam. Sunt & Itali, qui Cicutam ob bonos suos effectus, quos viderunt, laudant; an vis videre Haeni litteras Neapolis missas? quæ bonas ex Cicuta curationes enarrant?

G

Hoc momento, dum hæc scribimus, adfertur nobis novissimus de Cicuta Tractatus, cui titulus est: *Saggio degli effetti della Cicuta*, DANTON-MARIA RIPAMONTI medico Milanese 1766 in Milano

Pulcherrimæ ibi curationes Cicuta factæ leguntur: exulceratum cancrum perfecte curatum ope Cicutæ plures medici fide dignissimi testantur: habetur & ibi ægrotantis nomen & habitatio

Tibi tanto magis obstringimur doctissime Ripamonti, quod tempore adeo opportuno opusculum tuum nobis miseris.

Ad quam dignitatem extollemus eos, qui in Saxonia efficaciam Cicutæ experti sunt? (vid. opera doctissimi Rumpelt) Quale promissum lipsiensis medicos impulit, ut scriberent sequentia volum. XI. part. II. Comment. de rebus in scientia naturali & medicina gestis. pag. 240.

Insignem omnino quidem tandem meretur Illust. author pro singulari illo studio, quod novis inveniendis remediis impendit. Interim, si dicendum est, quam de his jam recensitis nostram esse velimus sententiam, fatemur, a Cicutæ usū quam maxime egregios vidisse nos effectus in scrophulosis potissimum, aliisque glandularum tumoribus inveteratis, scirrosis, quin & cancrois; adeo ut ejus usū in praxi clinica neutiquam cavere nos posse arbitremur: quod reliqua vero attinget remedia, ea non crebro satis in usum vocavimus, ut certi aliquid de iis pronunciare possemus &c.

Vix credimus Haenium adeo inhumanum esse, ut hos omnes viros dicat levis aut perversi animi homines.

Ridiculum est dum Haenius militis curam pag. 48. in sua epist ad Tralles vél sponte vel ex mala Diæta notæ diarrhææ adscribit.

Cicutam tuto dari posse, & nemini nocere unquam, si rite exhibeatur, demonstratum jam omnibus est; & fatentur etiam ii, qui bonos effectus non observarunt, *Cicutam* saltem non nocuisse. Fraudulentis igitur *Haenianis* objectionibus, si hoc ex punto responderemus, inutile foret & superfluum; alia quoque inania ex eadem ratione sicco pede præterimus.

Sed obstupescimus, & nostra horrор membra pervadit, dum turpe, insolens, & impium *Haenii* mendacium legimus in sua Epist. pag. 61. ubi habet.

Quum enim principio ægre ferretur, me mammæ tumorem mobilem cumque in corpore unicum enucleando curasse, ac si *Cicutam* sua privare gloria intendisse, deinceps debui omnes ejusmodi fæminas *Cicuta* traclare, pereantesque *Cicuta* videre, quas ferro alioquin sanas integrasque conservaturus fuisset &c.

Imprimis falsissimum est, quod quis ægre tulerit ab *Haenio* tumorem enucleatum fuisse; nam & id fecerunt & faciunt adhuc Cicutæ patroni, dum vident tales tumores remedii dispelli non posse.

Sed *Haenium* hic non dimittimus, provocamus eum coram toto litterato orbe, ut edicat (si honestum vi rum non exuit penitus) quisne ille fuerit, qui ipsi crudele adeo, & horrendum dederit mandatum, ut omnes ejusmodi ægras Cicutæ tractaret deinceps, & Cicuta pereunte videret.

Antua, o pie *Heros Haeni!* tenella conscientiola permisisset, ut iniquum tale mandatum executus fuisses?

Scis autem *Haeni*, tibi dare mandata in rebus medicis neminem posse præter Illust. nostrum *Præsidem*.

An eum igitur tanti facinoris accusas? ubine debita animi tui devotissimi gratitudo erga *Præsidem*, erga *Præ-*

G 3

fidem nostrum dicimus, cui omnem honorem, omne fortunum, omnem, quam occupas, dignitatem debes?

Edic, *Haeni*, an nefandum adeo mandatum tibi fuerit injunctum.

Multa dein adhuc promittis *Haeni!* eodem in textu dicendo: *quas ferro alioquin sanas & integras conservaturus fuisssem.*

An tuum tibi ferrum adeo felix sit, ut eo *integras sanasque conserves*, paulisper disquiremus.

Negare non potes, *Haeni*, quod pluribus fœminis cancro exulcerato mammæ laborantibus (quæ Cicuta nunquam utebantur) in tuo nosocomio practico ferro tuo abstuleris *cancrum*; tuque *Haeni*, earum curam gesisti, tuque novisti optime, quod omnibus longe pejor redierit *cancer*, quodque omnes miserrime interierint, licet in una alterave cancri amputatio a te fuisset iterata.

Recordaberis, *Haeni*, (vel si id memoria excidit, inspice notata) quod omnes hæ foeminæ pessimis symptomatibus fuerint vexatæ; quod nil ardentius quam mortem optaverint, quamvis omnem tuam artem, omnem tuam, quam adeo jactitas, curam palliativam applicueris.

Vna tantum ex iis aliquot Corticis peruvianilibras devoravit, cancer tamen semper in pejus ruit, & inter millenos cruciatus mors secuta est.

Quantum, *Haeni*, clamitasses, si hæ foeminæ vel granulum de Cicutæ extracto assumpsisserent?

Vbine sunt illæ foeminæ, quas cancri laborantes ferro tuo integras fanasque servasti?

An fors ferrum tuum candens meliores præstat effectus *Haeni*?

Verum binis *Cranium*, ut faceres experimenta, usisti, & hos binos intra triduum INTERFECISTI.

G 4

Störckius in faciendis experimentis
longe prudentius agit; is sua tentat
in animali vili; dum huic non nocent,
ipsem parva dosi fensim augenda,
ea experitur in proprio corpore, &
quando nil inde mali advertit, fensim
ea ægris exhibet: sic nocuit nemini;
neminem occidit.

Dic jam, Haeni, quæ experiu-
di methodus fit melior, an tua? an
Störckiana?

Nos autem cicuta utentes longe
sumus nostro ferro feliores; nos,
dum videmus *Cicutam* malum tollere
non posse (nam nunquam diximus
nos cicuta omnes curare) consulimus
de morbi statu; conferimus summa
cum attentione omnia ægrotantis sym-
ptomata, dein perquirimus nostrum
remediorūm Catalogum, utrum for-
san aliud effet remedium, quod ad-
huc cum spe & ratione tentare posse-
mus; si nullum tale invenimus, & si

vires Aegrotantis ferant, nec aliud obseruetur, quod contra indicaret, operationem instituendam concludimus.

Facto hoc, adimus Illust. nostrum *Præsidem*, explicamus ipsi totam morbi historiam, dicimus nos dedisse *Cicutam*; verum nos observasse, vel nullum, vel non sufficientem in hoc malo effectum, nosque propterea conclusse, ut fiat operatio; interim adhuc nos ejus consilium exspectare, rogare.

Nec nos penituit unquam; erant enim *Præsidis* consilia nobis semper utilissima, & monuerunt nos saepius eorum, quæ ægris fuerunt saluberria, & nobis maxime proficia.

Si Illust. *Præses* annuit operationi, eam quantocius insituimus, rogantes simul Illust. *Præsidem*, ut sua præsentia nobis vellet assistere, quod & liberissime fecit, dum id ipsi per negotia sua licuit. G 5

Hac ratione felices sumus, & toti mundo monstrare possumus ægras, quas, post usum cicutæ, ferro integras & sanas conservavimus; verum post operationem ipsis interne, & externe adhuc per longum tempus applicuimus *Cicutam*: tali modo efficimus curationem solito longe celeiorem, & felicem, & omnem impeditivimus recidivam.

En exempla!

Fœmina, 45. ann., foedissimo & ingenti mammæ cancro exulcerato laboravit: dabantur ei longo tempore pillulæ ex cicta præparatæ; verum cancer nec inde in melius, nec in pejus mutabatur.

Hinc, longi usus pertæsa, petuit ipsa, ut cultro auferretur moles cancrosa.

Celeb. Chirurgiæ Professor Leber hanc operationem instituit die 20. Febr. 1762.

Præsentes tunc erant Magnificus Vice-Præses *Kestler*, Anatomiae Professor *Gasser*, expertissimus Medicus *Kestler*, Chirurgus *Mensinger*, *Gebhard*, *Walner* &c.

Amputata, spatio sex minutorum mamma cancrosa, examinabatur Coram Illust. *Præside Van Swieten*, inventebaturque in ejus duritie portio ofsea, quatuor pollices lata, quinque pollices longa; unde, cur Cicuta nil potuerit efficere, patet.

Brevi & felicissime curata est hæc scemina, nec amplius rediit cancer.

Catharina *Achterin*, 40. aliquot annorum, per 9. annos habuit cancrum immanem exulceratum in mamma sinistra, usq; est sine effectu innumeris remediis, *Cicuta* dein ipsi data levamen quidem adferebat, sed curationis spem certam non fecit.

Unde, petito ab Illust. *Præside* confilio, conclusum fuit, ut fieret operatio.

Rogabatur etiam Celeb. ac Magniñcus *Haenius*, ut sua præsentia operationem honorare vellet; verum is renuit dicens: *hanc operationem crudelēm esse*, nec licere eam instituere, cum jam & musculi pectorales & intercostales externi cancro effent arroſi, hinc se nolle spectatorem esse horrendi adeo ausus, quo intra biduum certo certius periret ægra.

His nequaquam fuimus ab operatione deterriti, quoniam scivimus, quam fallax sit *Haenii* prognosis.

Leber hanc operationem instituit felicissime die 21. Octob. 1762. & externa dein Cicutæ applicatione, non tantum redditum cancri impedivit, sed & ægram perfecte curavit.

Curam vidit Illust. *Præfes*, vivit hæc foemina adhucdum, & cohabitat in eadem Domo cum *Haenio*, nec ipsi unquam cancer rediit, & est hodie dies 9. Febr. 1766. Mamma

abscissa fuit ponderis octo & dimidiæ
librarum.

Comitissa Hungara P.... a multis
annis cancro laboravit, & operatio-
nem jam semel Posonii subivit, sed
cancer iterum rediit.

Tandem petebat consilium a Ma-
gnifico Archiatro *Humelauer*; suasit
is usum Cicutæ, & magna fiebat inde
mutatio in melius; quædam autem
portio exulcerata mansit semper in eo-
dem statu.

Venit hæc comitissa Viennam. Pe-
tebatur consilium ab Illust. *Præside*, ab
Archiatro *Humelauer*, Archiatro
Störck & Professore *Leber*.

Conclusum fuit, ut externus in-
ternusque Cicutæ usus continuaretur
adhuc per aliquot septimanas, aucta
dosi extracti.

Verum vix vidimus mutationem,
hinc conclusimus, ut abscederetur
pertinax cancri portio, & id ægra
quoque rogavit.

Fecit & hanc operationem mense Oct. 1764. dexterimus noster *Luber* præsente Archiatro *Humelauer*, Archiatro *Störck*, aliisque Medicis, & Chirurgis; eaque successit cito & feliciter.

Curatio æque felix fuit, & Epistola data ante paucas septimanas magno cum gaudio nuntiat integrum hujus comitissæ sanitatem. Portio abscissa constabat ex pluribus folliculis callosis materie fusca repletis.

An his & eam Illustrissimam Comitissam licet adnumerare, cui dexterimus *Brambilla* abscidit mammam?

Verum ante operationem cancrum non habuit; interim permittet *Hænius*, ut hic notemus, quod hæc eadem Comitissa, seu nunc Princeps, vivat adhuc sanissima, quod nunc sit Viennæ, & jam post operationem plures pepererit infantes. An ipsi Cicuta nocuit?

Quam felix igitur cancrosarum
mammarum amputatio in iis , qui ci-
cuta utebantur !


Tandem *Haenius* , deplorata sua
misera forte Pag. 62. dicit. *Vivo*
nihilominus , & *tranquillus Omnipoten-*
tis in sinu recumbo.

Novimus multiplici experimento
nunquam formidabiliorem esse *Haeniu-*
mum , quam dum totus pietatem spi-
rat: Tunc enim

Fænum habet in cornu , longe fuge.

Interim tamen non turbabimus *Haeniu-*
mum in sacratissimo hoc azylo , in
quo olim recumbere datum fuit soli
dilecto Christi discipulo.

Requiescat in Pace.





H.

